

CORPVS SCRIPTORVM DE MVSICA

7


VGOLINI VRBEVETANI

DECLARATIO
MVSICAE DISCIPLINAE

EDIDIT

ALBERTVS SEAY

III



ROME
AMERICAN INSTITUTE OF MUSICOLOGY
1962

AMERICAN INSTITUTE OF MUSICOLOGY
ARMEN CARAPETYAN, Ph. D.
DIRECTOR

CORPUS SCRIPTORUM
DE MUSICA

7

UGOLINO OF ORVIETO
DECLARATIO MUSICAЕ DISCIPLINAE

III

CORPVS SCRIPTORVM DE MVSICA

7


VGOLINI VRBEVETANI

DECLARATIO
MVSICAE DISCIPLINAE

EDIDIT

ALBERTVS SEAY

III



ROME
AMERICAN INSTITUTE OF MUSICOLOGY
1962

Copyright 1962 by Armen Carapetyan

CONTENTS

DECLARATIO MUSICAЕ DISCIPLINAE

| | |
|--------------------------------|-----|
| LIBER QUARTUS | 1 |
| LIBER QUINTUS | 85 |
| TRACTATUS MONOCHORDI | 227 |

DECLARATIO MUSICAЕ DISCIPLINAE

LIBER QUARTUS

[PROEMIUM]

¹ Tres esse musicas, mundanam, scilicet, humanam et instrumentalem, ex prioris huius operis parte accepimus testimonium. ² Mundanam quidem quae in caelorum motibus ac elementorum connexione seu temporum varietate conspicitur, sonum ex orbibus mirabili harmonia caelestibus causatum, cuius excellentiam noster sensus non patitur, concordia suavissima inextimabili velocitate in sua revolutione producit. ³ Hic nempe sonus ab omni duritia omnique disproportione semotus, sed omni penitus uniformitate refertus, silentem immo mirabilem generat consonantiam. ⁴ Ex uniformi igitur sonorum concordia nascitur consonantia, sed hanc quippe quadam rationis mediante proportione incomprehensibilis fieri contingit, ex qua ita ipsa consonantia fit sicut ex ipsa sonorum amoenitas.

⁵ At ex musicali profecto harmonia etiam rerum contrariae qualitates convenient ut unum quid efficiant, quod minime quidem contingeret si eis proportio conveniens non adisset. ⁶ Sua igitur vi proportio perficit quae [musicali] concordia copulantur.

⁷ In humana vero musica quae animae partes, id est, potentias, sua subtilatione concordat, quae animam corpori sua harmonia connectit, adest proportionis vis ingens quae ea amicabili foedere iungit.

⁸ In reliqua autem quae quibusdam conficitur instrumentis sub qua harmonica dicitur contineri, si qua sonora, si qua delectabilis et amoena conveniat consonantia sive nervorum intensione vel spiritu, sive cordarum

Notae criticae quoad titulum in codicibus:

Titulus deest in R₁ R₃

In nomine sanctissime et individue trinitatis incipit liber quartus musice discipline L R₄ De proportionibus musicalibus add R₄

Musice discipline liber quartus incipit feliciter R₂

¹ L 12 R₁ 468 R₂ 225' R₃ 51 R₄ 254

² mundana R₁ R₂ R₄

³ omniumque pro omnique R₃

⁴ Ex ... consonantia om R₄ incomprehensibilis R₁ quod ex uniformi sonorum concordia nascitur consonantia in marg L

⁶ musicalis pro [musicali] L R₁ R₂ R₃ R₄ copulatur R₃

⁷ concordet R₃

⁸ harmonia pro harmonica R₂ R₃

secundo ad tertium sexquiteria, sed a primo ad tertium dupla est progressa proportio.⁵ Similiter in aliis triplicatis numeris ulterius proportiones evenient, ut 18-12-9, et 24-16-12, et si hi duplo augmentatione numeri concrecent, eadem ex numeris proportiones fient, ut 36-24-18 et 48-32-24.

| | | |
|----|--|----------------------------|
| | ⁶ Dupla proportio Diapason | |
| 6 | 4 | 3 |
| | Sexquialtera Diapente | Sexquiteria Diatesseron |
| | | |
| | ⁷ Dupla proportio Diapason | |
| 12 | 8 | 6 |
| | Sexquialtera Diapente | Sexquiteria Diatesseron |
| | | |
| | ⁸ Dupla proportio Diapason | |
| 36 | 24 | 18 |
| | Sexquialtera Diapente | Sexquiteria Diatesseron |
| | | |
| | ⁹ Dupla proportio Diapason | |
| 48 | 32 | 24 |
| | Sexquialtera Diapente | Sexquiteria Diatesseron |

CAPITULUM VIII

¹ De proportione subdupla

² Subdupla vero proportio quae submultiplicis generis species est prima est quando minor quantitas sive minor numerus maiorem bis numerat, ut duorum ad quatuor, trium ad sex, et sic ultra qui numeri sic disponantur:

⁵ ii pro hi R₁ R₂ eadem R₃ ut om R₃

⁷ proportio om L R₃ R₄

⁸ proportio om L R₃ R₄ dupla bis L diapason bis L

⁹ proportio om L R₃ R₄

¹ L 14' R₁ 474 R₂ 228 R₃ 56 R₄ 257 De . . . subdupla om L R₃ R₄

² disponantur corr ab disponuntur R₁

gentes in actu, et sic intellectui inest potentia patiendi et patitur intellectus, qui intellectus passibilis nuncupatur et est potentia passiva.

⁶ Agit etiam intellectus quo actu dicitur agens, cuius necessitas et actus sic potest haberi, posuit enim Aristoteles rerum naturalium formas sine materia non posse subsistere, quod philosophi videntur concedere. ⁷ Cum autem intellectus in potentia existens nihil intelligat in materia corporali nisi conditiones materiales in potentia intelligibiles existentes, mediante fantasmate actu a materia abstrahantur, cumque nihil possit de potentia in actum reduci nisi per aliquod ens actu, sicut sensus fit in actu per sensibile in actu, fuit necesse ponere aliquam virtutem in actu ex parte intellectus quae faceret intelligibilia in actu per specierum a conditionibus materialibus abstractionem. ⁸ Haec autem virtus est ipsius intellectus quae vocatur intellectus agens, et sic intellectui nostro inest agendi potentia et agit intellectus et nuncupatur activa. ⁹ Ex his igitur duplex colligitur intellectus, scilicet, agens et passibilis, et ideo Aristoteles secundo de anima dicit quod sicut in omni natura, ita etiam in anima est aliquid quo est omnia fieri, et aliquid quo est omnia facere.

¹⁰ Plato autem posuit rerum formas sine materia subsistere, et per consequens eas actu intelligibiles esse quia ex hoc est aliquid intelligibile actu quia est immateriale, et huiusmodi vocabat species sive ideas, ex quarum participatione dicebat et materiam corporalem formari, ad hoc quod individua in propriis generibus et speciebus naturaliter constituerentur, et intellectus nostri de generibus et speciebus scientiam haberent, et secundum hanc rationem non fuit necesse ponere intellectum agentem ad faciendum intelligibilia in actu, nisi forte ad praebendum lumen intelligibile intelligenti.

¹¹ Haec autem Platonis opinio communiter a philosophis non tenetur.

¹² Sed alias intellectus habet operationes, puta speculativam et practicam, ex quibus speculativus et praticus appellatur.

¹³ Speculativa namque intellectus operatio in vero et falso simpliciter videtur consistere, quia ipsa mens speculativa sicut dicit Aristoteles in sexto ethicorum bene vel male speculatur in eis et ideo verum absolute speculativi intellectus est bonum, et falsum absolute est eius malum.

¹⁴ Pratica autem intellectus operatio non est ipsius veri simpliciter absoluta contemplatio, sed ipsum verum confesse se habens ad appetitum rectum, id est, verum vel veritas concorditer se habens ad appetitum rectum, et sic patet quod verum absolute est obiectum intellectus speculativi, sed

⁷ est (existens) add R₁ conditiones corr ab conditionales L (fit) p
add R₁ necesse ponere aliquam virtutem in actu ex parte intellectus in marg L

⁹ duplex stat intellectus in marg L possibilis R₄

¹⁰ in materiale pro immateriale L (intelligibilia) intel add L Plato
in marg L

¹⁴ id est, verum ... ad appetitum rectum² om R₁ speculativi ... intellectus
in marg R₄

| | | |
|---------------------------|---|------|
| | ⁴⁶ Ducti 972 per 8 producunt | |
| Diphonus | Sexquioctava producta | |
| | differentia 864 | |
| 972-768 | | 7776 |
| 9-8 | | 6912 |
| Sexquioctava abstracta | Ducti 768 per 9 faciunt | |

⁴⁷ Sed ea quae nunc probata sunt de diatesseron mediante proportionum subtractione possunt etiam probari earum proportionum mediante additione. ⁴⁸ Et primo quod diatesseron superet semitonium minus per diphonum potest sic demonstrari, nam proportio semitonii minoris adiuncta diphono vel eius proportioni producit diatesseron probatur. ⁴⁹ Adiungantur ad invicem dictae proportiones et stent sic: ⁸¹⁻⁶⁴ ₂₅₆₋₂₄₃, et multiplicetur adiungendo 81 per 256, et producetur numerus [20736]. ⁵⁰ Deinde multiplicetur 64 per 243, et productum erit 15552, quorum differentia est 5184, qui numerus 5184 est pars tertia numeri 15552. ⁵¹ Sunt igitur numeri producti ex additione proportionis semitonii minoris proportionis diphoni, scilicet, [20736] et 15552, in sexquitertia proportione, et per consequens diatesseron videntur efficere. ⁵² Et quod sint in proportione sexquitertia dicti numeri probatur, nam maior numerus continet minorem totum et eius tertiam partem quae est 5184, qui numerus ter ductus producit numerum minorem, scilicet, 15552. ⁵³ Ex additione igitur semitonii minoris cum diphono vel eius proportione producitur diatesseron, ex quo patet diatesseron superare semitonium minus per diphonum, quod erat probandum.

⁵⁴ Item proportionum additione probatur diatesseron excedere semidiphonum per tonum. ⁵⁵ Adiungantur ad invicem proportio semidiphonti 32 et 27 et proportio toni 9 et 8, et producetur proportio sexquitertia, quae est ipsius diatesseron, et stent sic: ³²⁻²⁷ ₉₋₈, et multiplicetur adiungendo 32 per 9, et producetur numerus 288. ⁵⁶ Postea multiplicetur 27 per 8, et productum erit 216, quorum differentia est 72, qui numerus 72 est pars tertia numeri 216, ductus enim ter 72 efficit 216. ⁵⁷ Sunt ergo numeri producti, scilicet, 288 et 216, in sexquitertia proportione et per consequens faciunt diatesseron, maior enim numerus minorem continet et eius tertiam partem, quae est 72. ⁵⁸ Supervadit igitur diatesseron semidiphonum per tonum, quod erat demonstrandum, quorum demonstrationes sunt istae:

⁴⁶ *dem om L*


⁴⁷ *nunc om R₁*

⁴⁹ 20765 20735 *pro* [20736] L 20735 *pro* [20736] R₁ R₄

⁵⁰ *quorum ... 15552 in marg R₄*

⁵¹ 20735 *pro* [20736] L R₁ R₄

⁵⁶ 27 *pro* 72² R₁



M-10

Totum exemplum om R₁ R₄